Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



nec mala quae caueat nec bona potest ignorare quae appetat.

Cum autem uadis cum aduersario tuo ad principem in uia da operam liberari ab illo ne forte trahat te apud iudicem et iudex tradat te exactori et exactor mittat te in carcerem. t clxii v m xxxvi

Et sicut superiora saeculi calcandas in lecebras aduentumque tremendi iudicis continua docent expectatione praestulandum. aduersarius quippe noster in uia est sermo dei contrarius nostris carnalibus desideriis. In praesenti uita a quo ipse liberatur qui praeceptis eius humiliter subditur alioquin aduersarius iudici et iudex tradet exactori. quia ex sermone dni contempto reus peccator tenebitur in examine iudicis quem iudex exactori tradet quam hunc maligno spiritui ad ultionem trahere permittet ut conpulsam animam ipse ad poenam de corpore exigat que eius ad culpam sponte consensit exactor mittit in carcerem quam per malignum spm in inferno reruditur quousque dies iudicii ueniat ex quo iam in inferni ignibus simul et ipse cruciatur.

Dico tibi non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.

Id est donec etiam minima peccata persoluas quae quia semper soluere poenas patiendo sed numquam persoluere ueniam consequendo poteris. neque enim ibi ueniae locus erit numquam exies inde ubi perpetuas operum poenas lues. LV

Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de galileis quorum sanguinem pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. t clxiii x sol

Hi galilei qui ab impio praeside sunt inter sua sacrificia necati suorum quidem scelerum poenas impia sceleratae morte soluunt. quibus tamen non ipsa mors nam et bonos quoque sic potuisse mori beatorum martyrum gloria declarat sed uita in proba pro qua in secundam mortem mitterentur obfuit. uerum ad correptionem uiuentium ut pestilente flagellato stultus sapientior fieret uel certe ad exemplum corrigi nolentium. Ideoque pessime periturorum tali sunt morte multati. Denique sequitur.

Et respondens dixit illis putatis quod hi galilei prae omnibus galileis peccatores fuerunt quia talia passi sunt. Non dico uobis sed nisi paenitentiam habueritis omnes similiter peribitis.

Reuera enim qui non paenitentiam habuerunt similiter perierunt quam sexagesimo dominicae passionis anno uenientes romani quos designabat pilatus ut pote ad eorum gentem regnumque pertinens. et incipientes a galilea unde et dominica praedicatio coeperat adeo redicitus impiam gentem deleuerunt ut non solum atria